

Johann Cothmann Bernhard Töllner

**Disputatio Theologica De Iustificatione Hominis Peccatoris Coram Deo :
Continens Pontificiam sententiam eorumq[ue] refutationem**

Rostochi[i]: Kilius, 1646


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057290>

Druck Freier  Zugang



Vert.: B. Zollner

J. Cothmann fa
R. U. Theol. 1646.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
JUSTIFICATIONE
HOMINIS PECCATO-
RIS CORAM DEO.

Continens Pontificiam sententiam
eorumq; refutationem,

Quam
DEO TER - SANCTO Opitulante
Consensu
Reverendi & Amplissimi Theologorum Collegij
in incluto Athenæo Baltico

SUB PRÆSIDIO

Viri admodum Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi,
DN. JOHANNIS COTHMANNI,
S.S. Theologiæ Doct. & Profess. Publ.
celeberrimi, Præceptoris, Fautoris ac Pro-
motoris sui æternum suspiciendi,
observandi.

Publicè examinandam sistit
BERNHARDUS Tollner/
Oldenb. Frisus.
AUTOR ET RESPONDENS.

Die 2. Maij in Acroaterio Majori horis matutinis.

ROSTOCH,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1646.

54

27





Verissimè Theologorum ille facilè princeps Lutherus stante, inquit, Justificationis Articulo Ecclesiam stare: eoq; convulso & infirmato simul labi ac corruere eam. Nam hic locus (scribit Chemnitius part. 2. locorum Theologic. loco de justificatione in principio) est tanquam arx, & precipuum propugnaculum totius doctrinae, & Religionis Christianae, quo vel obscurato, vel adulterato, vel subverso, impossibile est puritatem doctrinae in aliis locis retinere. Salvo autem hoc loco, corruunt per se omnes idolomania, superstitiones, & quicquid est corruptelarum in omnibus ferè aliis locis. Cum igitur in justificationis doctrina conservanda tanta sit necessitas, ut Deus non possit retinere suam apud nos gloriam, qua est, quod sit misericors, & propter filium Condonare peccata ac salvare velit: non abs re duximus, ut quantum nobis concedat divina gratia, pro hujus articuli veritate ceu per aris & focus laboremus, cumq; ab omnibus fædisimis maculis & corruptelis, quibus ab Haereticorum colluvie aspersus & affectus est, vindicemus. Ne verò illovis (quod a jure) manibus ad materiam hanc satis arduam nos accingamus, Supremum Numen incensis fide precibus veneramur, ut conatibus nostris piis gratiae suae divinae favonio adspiraret, eosq; sibi gratos, Ecclesiae salutare, nobisq; proficuos esse jubeat.

THESES I.



Uandoquidem solemne est adversariis cum primis pontificiorum antesignano Bellarmino vocum ambiguitate ludere, & incautioribus glaucoma oculis objicere, operæ pretium esse videtur præsentem Disputationem (Deo auxiliante) in DUO principaliora membra distribuere:

In priore, Pontificiæ depravationes aliquot vocabulorum, ad hunc Articulum pertinentium, proferendæ.

In posteriore, formalis causa nostræ coram Deo justificationis ex pontificiorum sententia adducenda, & refutanda.

2. Præcipua vocabula ad hunc Articulum pertinentia sunt: 1. Gratia Dei, 2. Opera, 3. Lex, 4. Dei justitia, 5. Justificatio, 6. Fides, 7. Imputatio.

3. I. Per Dei gratiam intelligunt Pontificii qualitatem nobis infusam. Nam Catech. Roman. cap. De Baptismo p. 310. dicit: Gratia est divina qualitas in anima hærens, ac veluti splendor quidam & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, si ipsasq; animas pulchriores & splendidiores reddit. Cui addendum quod Bellarminus lib. 2. de justific. c. 3. Col. 138 proponit dicens: Gratia qua justificamur non solum est favor Dei, sed donum in anima inhærens.

4. Falsæ autem est vocis gratiæ in hoc Articulo interpretatio. Nam 1. patet hoc ex Synonymia, siquidem justificatio tribuitur Dei gratiæ, misericordiæ, dilectioni, 2. in Articulo justificationis gratia & opera semper opponuntur, Rom. 3, 24. c. 4, s. c. 9, 11. *ἐκ ἐξ ἔργων*, non ex operibus, sed gratia vocantis, vers. 6. *ἐκ χάριτι, ἐκ ἐπιεξ ἔργων*. Si ex gratiâ, non amplius ex operibus, aliàs gratia non esset gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: Alioquin opus non esset opus, Gal. 2, 21. Si per legem justitia, excidistis ex gratia, Christus frustra mortuus est. 3. Fit pessimâ confusio hujus divinæ gratiæ cum ejus effectu: Dona namq; & qualitates, à Deo gratuito nobis infusæ, effectum sunt hujus divinæ gratiæ.

5. II. Respondent Pontificii Apostolum in oppositione gratiæ & operum, non opponere divinæ gratiæ opera, à Deo vel Spiritu S. absq; nostro merito nobis infusa (hæc enim gratuita sunt) verum per opera, opposita divinæ gratiæ, Apostolum intelligere opera, à nobis ante justificationem ex naturalibus viribus patrata, vel de operibus legis factis sine auxilio & gratia ex sola cognitione legis, ut Bellarm. contendit lib. 1. de justif. c. 1. & Duræus lib. 8. fol. 253.

6. Quæ exceptio falsa est. Nam I. Paulus non scribit nondum conversis, sed Romanis, quorum fidem prædicari ait in toto mundo, Rom. 1, 8. Galatis, quorum mirificam erga se benevolentiam laudat, c. 4, 14. Ephes. quos sanctos, electos, in J. C. renatos, & cives sanctorum vocat,

cat,

eat, c. 2. v. 12. 13, 19. Nihilominus negat eos, jam in gratia constitutos, per opera legis justificari posse, intelligens in universum omnia opera, quæ auxilio quoq; Spiritus Sancti faciebant.

7. 2. Paulus ipse hunc Pontificium errorem refutat; Dicit enim se cum aliis salvatum seu justificatum *ἐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δεκαιοσύνη, ὧν ἐπαρξήσομεν ἡμεῖς* non ex operibus quæ nos facimus in justitiâ, Tit. 3, 5. ubi per opera facta in justitia, opera fidelium & jam justificatorum à Spiritu Sancto orta intelligit. (Aliàs appellantur fructus justitiæ Phil. 1, 11.) His Apostolus laudem justificationis & salvationis adimit.

8. 3. Esaias omnes nostras justitias comparat *כְּצֵלַע* panno detrito & abjecto, Esa. 64. 6. loquitur de se ut fideli & renato sibiq; conjungit reliquos fideles Judæos, & eorum justitias, id est, justitiæ fructus, cuius rei ratio est in promptu. Sunt enim imperfectæ; deinde commaculantur per ingenitam pravitatem, ut Paulus queritur Rom. 7. Hanc ob causam & Daniel cum fidelibus Israelitis testantur se in sua precatione non niti suis justitiis; c. 9, 15. Qua de re in loco de bonis operibus.

9. 4. Paulus Rom. 4. vers. 11. & seq. Abrahamum ut jam renatum in exemplum gratuita justificationis adducit. Nullum autem dubium, Abrahamum tum temporis multa bona opera vi Spiritus Sancti fecisse. His omnibus justificandi vim coram Deo adimit Apostolus.

10. 5. Paulus Rom. 3, 27. ait omnem *καύχησην* vel gloriationem, à justificatione excludendam. ex Pontificiorum autem bene placito in nostra justificatione omnis nostra coram Deo gloriatio non excluditur sed saltem ex parte. Et si namq; Spiritus S. bona in nobis opera efficit ratione primi initii, tamen post mentis innovationem, ratione causæ cooperantis aliqua laudis pars ad renatos rediret. Sunt enim *συνεργοὶ θεοῦ*, 1. Cor. 3, 9. Atqui hoc contra Apostolum.

11. 6. Nobis operantibus imputaretur merces non secundum gratiam, sed secundum debitum: Atqui hoc contra Paulum Rom. 4. 5. Ei qui NON OPERATUR, sed credit in eum, qui justificat impios, imputatur fides ad justitiâ. Rom. 11, 6. Si ex operibus non ex gratia, alioqui gratia non esset gratia.

12. 7. Sequeretur peccatorem voce legis convictum & æternam maledictionem metuentem, provocare à rigoroso legis judicio ad gratiam, id est, interiorem suam sanctitatem sibi divinitus ex gratia Spiritus Sancti donatam. Atqui hoc præter hypocritas nulli unquam Sancti

factitasse leguntur. Contrarium videmus in Daniele c. 9. 18. & Davide Pſal. 143. 2.

13. Dum ergò Apostolus ex foro divinæ justificationis omnia Legis opera excludit, & hæc divinæ gratiæ opponit, omnia omninò opera, quocunq; tandem nomine vel à non renatis, vel à renatis gratia Spiritus Sancti facta intelligit, & his omnibus operibus vim Justificationis coram Deo adimit.

14. III. Nonnulli Pontificiorum per LEGEM, cujus opera Paulus ex foro Justificationis proſcribit, Legem tantùm ceremonialem & ejus opera intelligunt, quod hæc ſolummodo coram Deo non juſtificent; opera vero Legis Moralis hanc juſtificandi vim habeant.

15. Falsum & hoc. loquitur Apostolus de eâ lege, per quam agnitio peccati, Rom. 3. 20. quæ per fidem ſtabilitur verſ. 31, ſecundum quam totus mundus ſit reus Deo, v. 19, quæ iram operatur, c. 4, 25. ex quâ Paulus didicit concupiſcentiam eſſe peccatum, c. 7, 7. quæ habet additum fulmen divinæ maledictionis, & juſtitiam vel promiſſionem æternæ vitæ, Gal. 3, verſ. 10. & ſeq: Quæ ſane omnia Legis moralis ſunt, cujus opera ex Articulo Juſtificationis à Paulo ſecluduntur.

16. IV. Per Dei juſtitiam quâ nos coram Deo juſti reddimur, & cujus Apostolus meminit Rom. 1, 17. c. 3. verſ. 21, 22. Phil. 3, 9. intelligunt Pontificii, Legalem juſtitiam, quâ Deus homines per inſuſionem juſtos facit. Bellarm. lib. 1 de juſtificatione. c. 1. hanc juſtitiam vocat Dei juſtitiam, non reſpectu Dei, ſed hominis, quem hoc à Deo habere ſcribit, quod rectè ordinatur ergâ Deum & proximum, Coſterus in Enchirid. c. 6. pag. 238. Juſtitiam Dei ita dictam nominat, quia viribus humanis non comparatur, ſed ſolâ Dei miſericordiâ INSTILLATUR.

17. Hanc inſuſam juſtitiam poſtea duplicè faciunt, unam habitualè, alteram actualem. Habitualè nominant primâ Juſtificationem, quando ex impio per inſuſionem vel inſtillationem juſtiæ juſtus fit: Actua- lem nominant inſuſæ & inſtillatæ juſtiæ incrementum, quando ex juſto fit juſtior, juxta illud: Qui juſtificatus eſt, juſtificetur adhuc: Apoc. 22, 11. Videatur Bellarm. lib. 4, de Juſtif. c. 18, & Coſterus pag. 228.

18. Hæc quoq; Pontificia Juſtiæ Dei in actu noſtræ Juſtificationis interpretatio erronea eſt. 1. Dei Juſtitia de quâ in hoc Articulo, ἀπεκα- λύθηται ἐν πίστεως εἰς πίστιν, revelatur ex fide in fidem, Rom. 1, 17. eſt δικαιοσύνη διὰ πίστεως juſtitia per fidem Jeſu Chriſti c. 3, 22. Phil. 3, 9. eſt

est δικαιοσύνη ὅτι τῆ πίστευ, ibidem. Atqui lex non est ex fide, Gal 3, 12. ἀλλὰ ἐκ ποιήσεως, Ergò per Dei justitiam non potest intelligere Apostolus ποιητικὴν Dei δύναμιν, quã nobis per inhærentem justitiam operum sanctitatem infundit.

19. 2. Dei justitia *χωρὶς νόμου* ABSQUE LEGE manifestata est, Roman. 3, 21. Atqui Pontificia Dei justitia Legalis est, quia cum operibus nobis infundendis occupata. Quam tamen legalem Dei justitiam Apostolus in hoc Articulo non intelligit: Quia Dei justitia in justificatione nostra est *χωρὶς νόμος*, est justitia *ἐκ πίστεως*, ἀπὸ πίστεως; Ergò non *ποιήσεως*. Ergò non Legis. Lex enim non est *ἐκ πίστεως*, ἀλλὰ *ποιήσεως*.

20. 2. Paulus in Phil. 3, 9. opponit inter se Legalem justitiam, & justitiam per fidem, vel in fide. Illam nominat SUAM justitiam, ratione scilicet inhærentiæ & *συνεργείας* cum Spiritu Sancto 1. Cor. 3, 9. Hanc nominat Dei justitiam, quia hæc justitiã Deus fidei imputat justitiam Rom. 4, 5. fidei scilicet quæ in Christum ferrur. Illam justitiam à justificationis negotio removet. Ergò justitia Dei per quam justificamur, legalis illa & nobis inhærens sanctitas & justitiã non est.

21. Quid verò Apostolus in Articulo nostræ justificationis per *δικαιοσύνην θεῶν* intelligat, id alibi fufius explicari potest, Misericordem scilicet Dei actionem, qua homini peccatori vel impio, Rom. 4, 5. in CHRISTUM credenti, CHRISTI justitiam sua morte & satisfactione acquisitam imputat, eumq; ut justum pronunciat & à peccatis absolvit.

22. Actus ergò justificationis Pontificiis est Legalis Dei actus, quo hominem impium intrinsicè justum facit, infundendo ei habitum justitiæ. Sed errant hic Pontificii, atq; fumum fucumq; nobis vendere conantur. Nam justificationis vox in hoc articulo forensẽm habet significationem, & *πρότως ἢ κυρίως* primariò & principaliter notat absolutionem vel remissionem peccatorum.

23. Sed adducunt Pontificii scripturam, ex qua opinantur probari posse, vocem justificationis per infusionem novi & justii habitus in justificationis articulo sumendam, ut videre est apud Bellarminum lib. 2, c. 5. Primus locus est Danielis c. 12, 3. Ministri verbi justificant multos. Secundus Esaie c. 53, 11. Cognitione sui justificabit justus servus meus multos. quia iniquitates ipsorum ipse portavit; Tertius Johannis Apoc. c. 22, 17. Qui justificatus est, justificetur adhuc.

24. Resp.

24. Resp. Generaliter, Pontificios in producendis his scriptura dictis fallaciam ἐπεεληγήσεως committere. Non enim quaeritur, in quo significato, in hoc vel illo scriptura loco justificandi vox, quippe πολύσημη sumatur? Verum id quaestionis est, in qua significatione, Paulus, ubi in propria sede & ex professo de hominis peccatoris coram Deo justificatione agit, vocem justificationis sumat.

25. Resp. Specialiter ad I. Danielis locus nil quicquam Pontificios juvat. Quaeritur enim, quomodo divini verbi Doctores, Auditores justificent? An infundendo illis habitum justitiae. An pronuntiando eos justos juxta Evangelii vocem? Prius non: Ergo posterius. Manet ergo & forensis vocis justificationis usus in hoc prophetico loco.

26. Objicit Bellarminus, Doctores justificare Auditores quatenus eis aperiunt viam ad justificationem. Resp. Dilabatur Bellarminus à scopo per insignem ἐπεεληγήσεως Elenchum. Verum aliò fugiens dicit hanc justificationem posse sumi pro apertione viae ad justificationem.

27. Justificatio in forensi usu duplicem habet respectum; unum, immediatum, qui respectus judici tribuendus; alterum mediatum, qui praconi. Doctores ergo verbi, licet in annunciatione remissionis peccatorum verè poenitentibus non fungantur officio judicis; tamen sustinent vocem praconis. Judex promulgat, pronunciat sententiam; praeco annunciat, proclamat.

28. Hac ratione uterq; suo quodam modo dicitur reum absolvisse vel condemnasse. Ita Deus fert sententiam judicis. Doctores, verbi beneficio, hanc sententiam denunciant & applicant hominibus. Hinc Deus omnia sua opera cum ministris verbi communicat, Deus peccatum ligat, solvit, Marc. 2, 7. Ita & ministri verbi, Mat. 16, 19. Joh. 20, 23. Deus salvat, seu justificat, Rom. 8, 34. Timotheus salvat, Tim. 4, 16. Deus & Christus judicat, Joh. 5, 22. Ministri verbi in novissimo die judicabunt, Luc. 22, 30. Hinc ipse Bellarminus Ministros verbi inter instrumentales causas nostrae justificationis numerat, lib. 1. c. 2.

29. Resp. ad II. Bellarminus petit τὸ ἐν δέχῃ. Dicit verbum קָרָא, in Hiphil in Esaia loco significare justum efficere. Sed mera est principii petitio. Hoc enim in quaestione est, an Ebraei verbum קָרָא in Hiphil usurpent in significatione effectiva an verò declarativa? contrarium testatur scriptura, Exod. 22, 9. Deut. 25, 1. Prov. 17, 15. 2. Sam. 15, 4. & alibi saepissime,

30, Et

30. Et in hac quoq; declarativâ vel imputativâ significatione justificationis vox in Esaia loco sumenda. Servus meus justus in sui cognitione justificabit multos, id est, explicante Paulo Rom. 5, vers. 18. & 19. per unius obedientiam justus *κατισαθήσονται*, constituuntur (En forenssem vocem) multi. Additur ratio à Propheta: Quoniam eorum peccata portavit.

31. Bellarminus contra pugnat vocem justificationis in prophético loco sumendam *ἐνεργητικῶς* effectivè, non *λογιστικῶς ἢ χρεατικῶς* imputativè. Sed quibus Argumentis? Non argumentis. 1. In suâ scientia, id est, docendo vel per suam doctrinam. 2. ipse justus non justificabit; id est, operando in nobis vel efficiendo justitiam. In forensi verò significatione necesse non est ut is qui alium pronunciat justum, ipse justus sit. 3. CHRISTUS ut servus DEI nos justificat ministrando. Ergo non judicando. 4. CHRISTUS nos justificat portando sarcinam nostrorum peccatorum in suis humeris. Ubi vides effectum satisfactionis Christi esse justitiam & sanitatem nobis inhaerentem. Non igitur in hoc Esaia testimonio justificare accipitur more forensi. Non enim judices ita justificant, ut pro reis poenas solvant, &c. Hæc Cardinalis.

32. Hæ sunt probationes, Bellarmini. In prima 1. manifesta est *ἐναπολαβεία*. Quæ namq; est consecutio: In Christi doctrinâ, vel per Christi doctrinam justificamur. Ergo justificationis vox in prophético loco per inhaerentem justitiæ inhaesionem explicanda? 2. Manifesta est *φρόσεως* ignorantia, in Ebræo est *יָתַר*, quæ vox non notat scientiâ, quam Christus docendo in nobis effecit, verum scientiam, quæ Christum agnoscit & amplectitur; id est, pro Christi cognitione. In quo significato sæpè sumitur, Joh. 17, 3. Sap. 15. 3. Ita *יְתֵן אֱלֹהִים* Dei notitia, Prov. 2, 5, id est, Fides de Deo. Synecdoche scripturæ perquam usitata, pars pro toto, notitia pro fide. Et ita Eruditi, in cognitione, vel scientiâ SUI, Luth. durch sein Erkântniß. Quo non modus justificationis, sed instrumentum notatur, seu fides, per usitatam scripturæ Synecdochen.

33. In secundâ probatione est aperta causæ fallacia. Diversitatis ratio non in modo justificandi, sed in causâ consistit. Cum civilis judex in foro impium damnat, ipse injustus est Prov. 17, 15. Esa. 5. v. 23. Cum Deus impium justificat, Rom. 4, 6. Ipse est & manet justus, non quod

B

justi-

justitiæ habitum impio infundat, sed quia non justificat impium per incuriam *περὸς ὁπολιψίαν* aut errorem, ut civilis iudex, nec propter imperfectionem operum, sed interveniente pretio præstantissimo, Christi scilicet merito verà fide apprehenso, cui fidei justitia imputatur.

34. Tertia Bellarmini probatio maximam redolet incitiam & impudentiam. Incitiam, dum CHRISTUM uno tantum modo, eoq; servili ad actum nostræ justificationis admittit, eum Christus & ut iudex, & ut Servus in negotio nostræ justificationis concurrat. Ut Servus, ratione præstitæ obedientiæ & acquisitionis beneficii: Ut iudex, ratione efficacæ & applicationis. De hoc postremo hîc nobis sermo est. Impudentiam, dum Christum de tribunali dejicit, eiq; omnem judicandi potestatem à patre datam (Joh. 5, v. 22, 27.) malitiose eripit.

35. In quarta probatione 1. Confundit Suita impulsivam & meritoriam causam nostræ justificationis cum causa finali. De illâ loquitur propheta. Monstrat enim, quo modo servus Dei justus nos justificat, portando nostras iniquitates. De hac loquitur Petrus 1. Petr. 2, 24. 2. Confundit causam & effectum, vel justitiam coram Deo & coram hominibus. De illa loquitur propheta, de hac quoq; Petrus, locis prænominitis. Illa fit per *λογισμὸν* per imputationem, hæc per inhæSIONEM, 3. CHRISTUS consideratur ut iudex & ut servus. Ut iudex, quatenus nos justificat, & eatenus non luit pœnam pro reis; ut Servus, ratione sui meriti, & eatenus pœnam pro reis solvit, Esa. 53, 4. & hanc solutionem credentibus in justitiam imputat, & hac imputatione justificat, Roman. 4, 6.

36. TERTIUS locus supra 24. thesi ex Apoc. 22, 11. productus, nil quicquam Cardinalem juvat. Vox JUSTIFICATIONIS est ambigua, interdum & pro sanctificatione ponitur. Quæstio autem est, an in 3. & 4. capitibus ad Romanos, ubi Apostolus ex professo de nostra coram Deo justificatione agit inhæSIVAM notet justitiam. Nam Apoc. 22. pro actus incremento acipitur, & de ejusdem reiteratione & contiuvatione. Qui justificatus est (quomodo hæc justificatio fiat, hoc loco non docet Apostolus) justitia scilicet CHRISTI, justificetur adhuc, id est, sese coram Deo justificatum fructibus justitiæ demonstret & declaret, vel in Dei gratia maneat, in fide perseverans, & gratiâ Dei & suâ justitiâ rectè utatur, non abutatur. Sed quid hoc ad Pontificiam verbi justificare significationem?

37. Fi.

37. VI. Fidei quoq; vocem, quæ passim à Paulo inculcatur, pontificii miserè corrumunt, imò in corruptione à se invicem dissentiunt. Alii de nudâ tantum notitiâ interpretantur rerum in verbo Dei comprehensarum: Alii fidem non tam notitiam quam assensum esse volunt, & fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri, ut Bellarminus loquitur lib. 1. de justif. c. 7. At fiduciam salvificam fidem esse planè negant. Egregiam sanè pontificiorum fidem!

38. 2. Objectum hujus fidei faciunt quodlibet Dei verbum, etiam quatenus in actu justificationis coram Deo consistit (Bellarminus lib. 1. c. 8) non distinguentes inter objectum justificantis fidei commune, & adæquatum seu proprium, quod Christus est cum suo merito, in quo solo fides quærit reconciliationem cum Deo, peccatorum remissionem & acceptationem ad æternam vitam. Hinc fides Jesu Christi Rom. 3, 22. Fides in Christum ex mortuis resuscitatum c. 4. 24. Fides in sanguine Christi Rom. 3, 25. Fides Jesu, v. 26. Fides Christi, Phil. 3, 9.

39. 3. Illam fidem coram Deo justificare dicunt non per modum instrumenti, justitiam Christi apprehendentis, verùm per modum tantùm dispositionis, ejusq; non solitariæ, sed conjunctæ, ut Bellarminus loquitur lib. 1, c. 18. & lib. 2, c. 3. id est, quatenus cor ad virtutes, spem, dilectionem & similes præparat & disponit, quæ virtutes simul junctæ justificent, ideò fidem non ad instrumentales causas, sed ad formalem vel materialem nostræ justificationis referunt.

40. 4. Fidem distinguunt in fidem informem & fidem formatam. Informem vocant nudum assensum: Formatam nominant fidem conjunctam cum charitate, quam fidei formam ἀπειδεύτως faciunt, ut videre est apud Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 6. Et lib. 2. de justif. c. 4. Huc trahunt illud Pauli Galat. 5, 6. Fides per dilectionem est, ἐνεργημένη operatur vel efficax est per dilectionem, id est (ex Bellarmianâ interpretatione) PERFICITUR, quasi Fides à dilectione perficiatur, & ita suam formam à Charitate habeat, cum contra fides dilectionem animet & informet. Quasi operari sit perficere.

41. Hæc omnia veram salvificantis fidei naturam non describunt, imò potius corrumunt; cum vera fides consistat in λήψις seu receptione CHRISTI Joh. 1, 12. Quotquot receperunt eum cum sit ζωὴς
Matth. 9, 1. Παρήσια, ἀληθεύουσα, πεποιθήσις, ὑπόστασις. Ephes. 3,
B 2 12. Rom.

12. Rom. 4, 21. Ebr. II, 1. Πίστεως πρὸς ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι Rom. 4, 18. Quâ de re suo loco fufius dici potest.

42. VII. Restat imputationis vox, quâ Paulus in hoc Articulo sæpius, præsertim in c. 4. ad Romanos utitur, quàm Pontificii depravant, dicentes, imputare nil aliud significare, quàm à Deo aut aliàs verè existimari quo nobis aliquid imputatur, sive ex merito, sive gratis ex gratiâ, ut semper quando nobis Deus aliquid imputet sive adjudicet, illud ipsum nobis, INNOBIS detur & non adimatur, ut Pistorius imputationis vocem describit p. 235. in seipsum Wegweiser.

43. Falsa hæc est vocis imputationis explicatio, cum fundamentum illius quod nobis imputatur non IN nobis sit, sed aliundè nobis imputatur, & ita verè nostrum fiat, non inhæsitivè, sed imputativè vel λογιστικῶς.

44. Probat Pistorius rem à contrario. Non imputari peccata significat nulla peccata penitus in nobis, & neq; culpam, neq; pœnam remanere. Quod crassum est figmentum. I. In scripturam impingens, quæ τὸ non imputare pro non recordari, non meminisse, non adjudicare, interpretatur, illius scilicet rei quæ reverà adest. En loca 2. Sam. 19, 19, 2. Chron. 30, 19. Job. 42, 8. Ezech. 33, 16. 2. Tim. 4, 16, &c.

45. II. Absurditatem implicans: Ex Pontificiorum enim sententiâ imputatio est ejus rei, quæ Nobis & IN NOBIS datur: Hinc sequitur: 1. Christum inhæsitivè fuisse peccatorem, quia ἐλογίσθη reputatus est inter iniquos, Esa. 53, 12. Marc. 15, 28. Factus quidem est peccatum à Deo λογιστικῶς, 2. Cor. 5, 21. non inhæsitivè, quasi peccatum in Christo hæserit, (peccatum enim non fecerat, nec inventus est dolus in ore ejus, Esa. 53, 9. 1. Petr. 2, 22.) Quæ tamen imputatio verè Christo peccata mundo imputavit. Hinc aliorum peccata SUA nominat Psal. 40, 13. 41, 5. 69, 6. ea tollit vel portat; pro iis pœnas luit, satisfacit, moritur, Esa. 53, 7. 53, 6. Psal. 69, 5. Luc. 22, 37. Joh. 1. v. 29. Rom. 4, 25. 2. Cor. 5, 21. Gal 3 v. 13. 1. Petr. 2, 24. Non secus ut hirco emissario peccata populi imputata, Lev 16, 21.

46. 2. Sequitur & hoc absurdum, Christianis pessimam malitiam dari, & inhærenter quidem, quia malitia illis imputatur, Rom. 8, 36. ex Psal. 44, 23. ἐλογίσθημεν reputati sumus ut oves occisionis. Ita Plinius lib. 18, c. 1. Nostris eam criminibus urgemus, culpamq; nostram illi imputamus. En alterius rei quæ nobis inhæsitivè non inhæret, imputatio. In hoc sensu & Paulus ad philemonem inquit v. 19. Si quid læsit te, hoc mihi ἐλλόγῃ imputato.

47. Ex.

47. Exemplum Phineæ, cui suum factum inhærens imputatum est (חֲטָאָתוֹ) in iustitiam Psal. 106, 31. nil quicquam Pontificios juvat. Disparitas enim est in Exemplo. 1. Nobis disputatio de imputatione fidei, de qua Gen. 15, 6. Rom. 4, 5. Exemplum Phineæ loquitur de operis imputatione. 2. Nobis sermo est de imputatione κατὰ χάριν: Phineæ vero impuratio est κατὰ ἔργον, idq; singulare. 3. Loquimur de imputatione iustitiæ coram Deo: Phineæ factū ei imputatum est חֲטָאָתוֹ in generationem & generationem, id est, posteris. Atqui gratuita coram Deo imputatio non imputatur posteris; sed iis tantum qui vestigiis fidei Abrahamæ insistant, Rom. 4, 12. Ebr. 10, 37. 4. Illa imputatio facti Phineæ ad iustitiam, divinam approbationem notat, & destinationem Phineæ & posterorum ad officium sacerdotale in templo Domini, pro se & suis posteris (לְךָ וְלְבָנֶיךָ) ita Dominus Num. 25. v. 12, 13. Ecce ego ei (Phineæ) do meum foedus pacis. Erit enim ei & seminis ejus post eum foedere perpetuum sacerdotium, Et Eccles. 45, 30. Instituit ei (Phineæ) foedus pacis & populo ipsius (posteris) ut Antistes rerum sanctarum esset, ut magnificentia Sacerdotis esset ipsi ac semini ipsius in seculum.

48. Quæ divina facti Phineæ ad iustitiam imputatio vel approbatio omnino necessaria erat. Factum enim Phineæ in aliorum poterat incurere reprehensionem, quia non gerebat gladium, quia magistratus officio non fungebatur, neq; factum illud Magistratus jussu, sed proprio tantum zelo susceperat.

49. FORMALEM nostræ coram Deo justificationis causam Pontificii faciunt novæ iustitiæ infusionem. Dicunt enim, in eo consistere formam nostræ justificationis, quando DEUS homini peccatori & impio iustitiæ habitum infundit, ex impio inhærenter iustum facit. Hæc Pontificii est formalis causa nostræ justificationis. Hinc habitualis iustitia.

50. Sic enim Bellarm. lib. 1. de justif. c. 8. iustitia nobis inhærens est formalis causa nostræ justificationis. Et libro 2, c. 2. justificamur propter novitatem nobis inhærentem formaliter. Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 7. justificationis unica causa formalis est iustitia Dei, non quæ ipse iustus est, sed quæ nos justos FACIT; quia videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, verum etiam verè iusti nominamur & sumus, iustitiam IN NOBIS recipientes, &c.

51. E Contrâ strenuè negant causam formalem nostræ justificationis esse imputationem justitiæ CHRISTI, vel Remissionem peccatorum, Bellarminus libro 2, c. 7. Nullus omninò locus invenitur, ubi legeretur, CHRISTI justitiam nobis imputari ad justitiam; vel nos justos esse CHRISTI justitiâ nobis imputatâ. Ita Costerus in Enchiridiò pag. 254. Nusquam in scripturis legimus, justos per CHRISTI justitiam ipsis imputatam esse justos.

52. Ex hac absurditate plures fluunt: ἐνός γάρ ἀτόμα δόδενται. Πόλλή ἐπειδαι: Absurdum si des unum, infinita sequuntur. 1. Dicunt nos justificari CHRISTI justitiâ meritoriè tantùm non formaliter, id est, CHRISTUM snâ justitiâ nobis tantùm promeritum hanc inhærentem in nobis justitiam, quæ verè & propriè sit causa formalis intrinseca nostræ justificationis, non CHRISTI justitia, quæ tantùm est meritum vel causa formalis extrinseca, ut Bellarm. loquitur lib. 1, de justif. c. 2, & lib. 2, c. 2. justificamur propter meritum Filii Dei meritoriè, propter novitatem in nobis inhærentem formaliter.

53. 2. Insulam hanc justitiam adeò perfectam faciunt, ut homo in doloribus & angustiis conscientiæ, iræ Dei, divini maledictionis & æternæ condemnationis constitutus, hanc justitiam hisce doloribus opponere, ipsisq; confidere possit.

54. 3. Hominem ita perfectè intrinsecè per mentis innovationem justificatum perfectè posse Dei legem implere, Deum diligere ex toto animo, ex totâ mente, ex totis viribus, & proximum suum sicut seipsum: Et hac impletione hominem verè justificari, non prima, sed secundâ justificatione, ut Bellarminus loquitur lib. 4. de justificatione c. 10.

55. Argumenta quibus pontificii probant, formalem causam nostræ coram Deo justificationis, esse justitiam nobis inhærentem, Bellarmin. lib. 2. c. 3. ex scripturis profert plurima.

56. I. Ex Rom. 5, 19. Ex hoc loco Cardinalis inhærentem suam justitiam probare conatur. 1. Ex verbis: Justi constituentur multi. Atqui justum constitui & justum fieri idem sunt, inquit, ille. 2. Ex Antithesi. Sicut in Adamo multi peccatores constituti sunt injustitiâ in nobis verè ac reipsâ inhærente. Ita per Christum justi constituuntur justitiâ in nobis verè & reipsâ inhærente & non imputatâ. Hoc argumentum c. 7, dicit insolubile.

57. II. Ex Rom. 3, v. 24 & seq. justificamur gratis per gratiam. Gratis, id est, explicante Bellarmino, ex merâ DEI liberalitate quantum ad nostra merita. Justificamur per gratiam DEI, id est, per justitiam ab ille donatam & infusam, & hæc est causa formalis. Ergo nostra eorum DEO justificatio inhærens est, non CHRISTI imputata justitia.

58. III. Ex 1, cor. 6, 11. Vos estis ab luti, sanctificati, justificati, justificatio, inquit Bellarminus, Duo continet: purgationem sive ablutionem & sanctificationem. Quod si justificatio est ablutio & sanctificatio: sequitur ut justificatio non sit sola peccatorum remissio sine interna sanctificatione. Item sequitur, ut justificatio non sit imputatio justitiæ, vel declaratio more forensi. Hæc ille.

59. IV. Ex Tit. 3, v. 4, 5, 6, 7. Ex verbis postremis, justificati gratiâ ipsius, colligimus (ita colligente Bellarmino cum gregalibus) in verbis superioribus descriptam esse justificationem, ita ut secundum Apostoli sententiam, justificatio sit regeneratio & renovatio, DEI benig-nitate per lavacrum Baptismi & effusionem Spiritus Sancti in nobis facta.

60. V. Ex Ebr. 11, Ubi testatur Apostolus quosdam hominum fuisse justos, Abel, v. 4. Noa, v. 7. Non imperfectè & inchoatè, sed absolute & perfectè, (dicente Bellarmino) neq; enim scriptura justos absolute vocaret eos, qui absolute justus non essent. At justus non justitiâ DEI inhabitante aut justitiâ CHRISTI imputatâ; sed justitiâ in illis inhærente & propriâ. Nam Abel justa opera faciebat, cum DEO rite sacrificaret. At qui facit justitiam, justus est, 1. Joh. 3, 7. justus autem operis causa est justitia inhærens, non imputatio, quæ cum extrinseca sit, principium operis esse non potest.

61. VI. Ex Rom. 8, 29. 1, cor. 15, 49. CHRISTUS (inquit Bellarm.) non est justus per imputationem, neq; per solam in habitationem increatae justitiæ, sed justus est verè & propriè, etiam ut homo, per creatam & inhærentem sibi justitiam; igitur & nos, si similes, si fratres, si imagini ejus conformes esse debemus, justitiam veram & inhærentem habere necesse est. Nam si reipsâ injusti & solum putativè justifumus, magis Diaboli quàm Christi imaginem geremus. Rectius enim denominamur ab eo quod sumus, quam ab eo quod esse putamur.

62. VII. Ex Rom. 6, 7. 1. Pet. 4, 1. Docet Apostolus Paulus (recto verba Bellarmini) Nos per justificationem, qua morimur peccato, & resurgimus justitiæ, repræsentare Christi mortem & resurrectionem:

At.

At Christus non putativè sed verè mortuus est & resurrexit: igitur & nos non putativè, sed verè morimur peccato & resurgimus ad justitiàm cum per Baptissimum justificamur.

63. VIII Ex Rom. 8, v. 10. & 23. & Phil. 3, 21. Adoptio filiorum, (sunt cardinalis verba) quam expectamus in redemptione corporis verissima erit & inhærens in ipso corpore; id est, immortalitas & impassibilitas, non putativa, sed vera, igitur Adoptio quam nunc habemus in spiritu per justificationem vera etiam esse debet non putativa. Alioqui sicut expectamus redemptionem corporis ita quoq; expectaremus redemptionem animæ.

64. Hæc sunt Argumenta ex scripturis petita, quibus probat nostram inhærentem justitiàm vel Spiritus Sancti infusionem formalem causam esse nostræ justificationis. Posset & hoc argumentum addi; Forma est, quâ sublata vel amissa res ipsa tollitur: sed amissione inhærentis justitiæ, amittitur justitia coram DEO. Ergò nostrà inhærens justitia est formalis causa nostræ coram DEO justificationis.

65. Nos contrà probamus hanc inhærentem nostram justitiàm formalem causam nostræ coram DEO justificationis esse non posse;

I. Justitia nostra quâ coram DEO consistere valemus, necesse est absolutissimo modo sit perfecta:

Atqui nostra inhærens justitia absolutissimo modo non est perfecta. Ergò nostra justitia inhærens, nostra justitia quâ coram DEO consistere valemus, esse non potest.

66. Majoris consecutio manifesta est illa namq; justitia ira comparata sit necessum est, ut ea divinæ justitiæ quæ nec minimum enormitatis admittere potest, sed exquisitissimam nostri consummationem requirit exquisitè correspondeat. Minor est I. Cor. 13, 9. Ex parte hac in vita cognoscimus. Ergò nostra cognitio quam nobis Spiritus Sanctus in hac vita instillat, est partialis & ita imperfecta. Quæ autem est ratio unius operis, est & alterius. Hinc est quod 2. cor. 3, 18 Apostolus ait: Nos in hac vitâ transformari à claritate in claritatem, tanq; à Spiritu Domini. Et Rom. 7. Apostolus de se renato & jam justificato conqueritur, sibi malum adhærere, imò in se peccatum esse. Et Johannes se cum aliis fidelibus & justificatis peccatorum numero includit I, Joh. 1, 8. Quò pertinent illa scripturæ dicta, Job. 14, 4, 7, Reg. 8, 46. Ps. 19, 13, prov.

Proy. 20, 9. Eccl. 7. 21. Et quinta petitio, dimitte nobis debita nostra. Verùm de imperfectione nostræ sanctitatis in loco de bonis operibus fufius tractatur.

67. II. Iustitia nostra quâ coram DEO consistimus, necesse sit infinita: Consecutio evidens. DEUS enim vi infinitæ suæ iustitiæ neminem hominum peccatorum iustum facere potest absq; infinitâ iustitia ex mutuâ Analogia.

Atqui nostra inhærens iustitia finita est:

Ergò hac nostra iustitiâ coram DEO consistere non possumus. Vel: Hac nostra inhærens iustitia non est formalis causa nostræ coram DEO justificationis.

68. III Effectum non potest esse causa.

At nostra inhærens iustitia est effectum nostræ coram DEO justificationis.

Ergò causa esse non potest multò minus causa formalis nostræ coram DEO iustitiæ.

Minor est Pauli, qui Phil. 1, 11 vitæ novitatem nominat fructus iustitiæ id est, effectus nostræ coram DEO iustitiæ, Fructus enim effectum arboris. Huc pertinet illud Augustini: Bona opera non præcedunt iustificandum, sed SEQUUNTUR iustificatum.

69. IV. Quodcunq; nobis ad nostram justificationum vigore divinæ iustitiæ denegatur, id causa formalis nostræ justificationis esse non potest.

Atqui nostra infusa & instillata iustitia nobis ad nostram justificationem vigore divinæ iustitiæ denegatur.

Ergò causa formalis nostræ justificationis esse non potest.

70. Minor probatur, DEUS enim vigore suæ iustitiæ nemini hominum peccatorum hanc inhærentem iustitiam infundere & instillare potest, nisi primum iustitiâ quapiam interveniente, quæ nos exquisitè iustos coram Deo reddat. Deus enim perfectissimo odio odit peccatorem.

71. Sed objicis: intervenit Christi iustitia, quæ nobis promeruit hanc inhærentem & infusam iustitiam. R. Dico non satis esse intervenire Christi iustitiam, ut meritum, verùm & vi divinæ iustitiæ id requiri, ut hæc Christi iustitia, quippe exquisitissima, nostra fiat, quæ verè nos formaliter coram Deo iustificet. Quia Deus in neminem Legis

C

trans-

transgressorem virtute exquisitissima suæ justitiæ inhaerentem justitiã operari potest, nisi homo vel ipse perfectissime legi satisfaciatur, vel alterius satisfactio homini reverã imputetur, quæ imputatio postea causa fit inhaerentis & infusæ justitiæ.

72. V. Quicumq; gratiã Dei gratis justificatur, ille non ex operibus virtute Spiritus Sancti in nobis factis coram Deo justificatur. Atqui gratiã Dei gratis justificamur, Rom. 3, 24. *δωρεάν τῆ αὐτοῦ χάριτι*. Ergo non ex operibus virtute Spiritus Sancti in nobis factis. Vel quod idem: Ergo nostra inhaerens justitia formalis nostræ coram Deo justificationis esse non potest.

73. Evidens est in majore consecutio. Adverbium enim GRATIS omnem operum respectum excludit. Opponitur enim gratiæ seu divinæ Misericordiæ in lege, quæ promittit vitam & justitiã, verum cum conditione operum, juxta illud: Fac hoc, & vives, Levit. 28, 5. Neh. 9, 29. Ezech. 20, 11. Luc. 10, 28. Rom. 10, 5. Hinc Lex versatur in *πίστις* non *πίσις*, Gal. 3, 12. Verum in nostra justificatione dominatur Dei misericordia & gratia *δωρεάν* Gratis. Omnia ergo opera in nobis facta, quocunq; nomine veniant à nostrâ justificatione excluduntur.

74. VI. Quicquid formaliter nos coram Deo justificat, ei tempore sensus divinæ iræ & æternæ maledictionis & damnationis ob peccata necesse est nos tuto inniti posse. Atqui nostræ inhaerenti justitiæ tempore sensus divinæ iræ & æternæ maledictionis & damnationis ob peccata tuto inniti non possumus: Ergo nostra inhaerens justitia nos coram Deo formaliter non justificat.

75. Ratio minoris manifesta, quia imperfecta, quia non tantæ virtutis, ut exquisitissimum illum divini rigoris & æternæ gehennæ sensum perferre & superare possit, quia multis carnis sordibus maculata, Esa. 64, 7. Rom. 7. Hinc sancti viri in suis precepcionibus & suorum peccatorum sensu huic inhaerenti justitiæ inniti noluerunt. David Psalm. 130, 3. 143, 2. Esaias cum fidelibus sui temporis, c. 64, 6. Daniel c. 9, 18. Quicumq; contrarium fecerunt, ij fuerunt hypocritæ.

76. VII. Quæcunq; justitia humanam gloriationem saltem aliquo modo stabilis, ea formaliter nos coram Deo justificare non potest. Atqui inhaerens nostra justitia humanam gloriationem saltem aliquo modo stabilis. Ergo inhaerens nostra justitia formaliter nos coram Deo justificare non potest.

77. Ma-

77. Majoris consecutio pendet ex illo Pauli Rom. 3, 27. *καύχησις ἐξ ἐκλείσεως*. A justificatione omnem nostram gloriationem vult excludendam. Minor aperta. Licet enim Spiritus S. hanc vitæ sanctitatem nobis infundat, tamen in ipsorum operum effectione sumus *συνεργεῖ* cooperarii Spiritus Sancti 1. Cor. 3, 9. & ita ratione causæ cooperantis aliqua gloriationis pars ad renatos rediret.

78. IIX. Quæ formalitas consistit in imputatione, ea per inhaesionem non definienda, Aliud enim est *λογισμὸς* imputatio, aliud inhaesio, infusio vel instillatio.

Atqui formalitas nostræ coram Deo justificationis consistit in imputatione.

Ergo per inhaesionem non definienda, neq; inhærens nostra justitia est causa formalis nostræ coram Deo justificationis.

79. Minor confirmari potest, tum ex forensi usu vocis justificationis in hoc Articulo, tum ex Apostolo Paulo, qui multoties præsertim cap. 4, ad Romanos imputationis meminit, & ait, credenti justitiam imputari.

80. IX. Prætereo spiritualem coram DEO superbiam, item desperationis fomitem, quem pontificia hæc sententia de causâ formali nostræ coram DEO justificationis fovet. Nam humanis operibus (ratione cooperationis) confidunt, in iis gloriantur, iis innituntur, cum iis se omnes spirituales conscientiæ & animæ tentationes superare conantur, sed irritò conatu. Nisi namq; firmitus quid & solidius in terroribus illis conscientiæ, præsertim in agone ob sensum peccati & æternæ damnationis judicio DEI opponatur, in eoq; fiducia & nostra coram DEO justitia locetur, tentatio facillè talem animum superabit, & in desperationis barathrum conjiciet.

81. Restat ut ad superiora Bellarmini argumenta à Thesi 57. & sequentibus aliquot citata, non tam in specie (id enim fusioris est laboris & loci) quàm genere, notatis quibusdam hypothesibus respondeamus.

82. I. Justificationis vox usurpatur in sacris vel *πενικῶς* pro toto illo nostræ Redemptionis & reconciliationis cum DEO opere, quod

C 2

comprehendit & justificationem & Sanctificationem. Vel *ἐδικαίωσ* pro
primaria & præcipuâ illius parte, quæ consistit in applicatione & impu-
tatione justitiæ Christi.

83. II. Justificationis vel justitiæ vox usurpatur in sacris vel inter-
nè ratione conscientiæ coram Deo; vel externè ratione sanctimoniam co-
ram hominibus. Utraq; justitiâ dicimur *justi*, sed variâ ratione; illâ im-
putativè, relativè & perfectè coram DEO. Hæc inchoativè, subjectivè
vel inhærenter, sed tamen imperfectè coram hominibus. *Ein ander
ist gerecht seyn. Ein ander ist gerecht erkandt seyn.*

84. III. Si quæ comparationes inter primum & secundum Ada-
mum, inter nos & Christum, ratione hujus & alterius vitæ in sacris re-
periuntur, Rom. 5. 19. c. 8, 29. 1. cor. 15, 49. eæ rem comparationis in-
tendunt non modum.

85. IV. Justum fieri dicitur vel declarativè: Quæ ratione DEUS
hominem peccatorem in Christum credentem justificat, & ejusmodi
homo justus fit: vel inhærenter & subjectivè. Quæ ratione Spiritus
Sanctus homini peccatori in Christum credenti & iustificato iustitiæ
habitum infundit, & ejusmodi homo inhærenter justus fit.

86. V. Vox gratiæ non uno modo in sacris literis sumitur. Primò
pro gratuito & æterno DEI favore quo nos sibi gratiosos reddidit in
dilecto, Eph. 1, 6. (in quo significato Rom 3, 24. ponitur) secundò pro
donis Spiritus Sancti per gratiam infusus, sive internis sive externis, sive
communibus sive singularibus.

87. VI. Paulina *ἀντίθesis* Rom. 5, 19. inter Adami peccatum &
Christi iustitiam convenit 1. in causis vel autoribus. 2. in effectis. 3. sub-
jectis. Differt 1. in rebus acquisitis 2. in termino à quo factus est transi-
tus, 3. in modo propagandi. Peccatum inhærenter propagatur per se-
minationem, Christi iustitia per *λογισμὸν* vel imputationem. Membra
ergò Paulinæ *ἀντιθέσεως* latius haud extendenda, quàm Apostolica in-
tentio requirit.

88. VII. Differt *λογισμὸς* imputatio, & *δόκησις* putatio. illa est
vera & realis, hæc imaginaria. Christo namq; non per *δόκησιν*, per
nudam imaginariam putationem, sed per *λογισμὸν*, per veram & rea-
lem imputationem peccata mundi imputata imò imposita. Veritas
ergò & imputatio non debent inter se opponi quod *ἀπιδέυτως* à
Ponti-

Pontificiis fit, qui λογισμὸν, de quo nobis locutio, imaginariam tantum δόξασιν & putationem Calumniantur.

89. Ad argumentum Theſi 65. productum, respondemus in maiore esse Fallaciam κατὰ π. sumuntur termini in maiore ut ἀντιρροφοντες ut definitio & definitum quod non debebat fieri. Non enim omne id quo sublato vel amisso res ipsa amittitur, forma rei est. Aliàs sequeretur & calorem, ignis, & risibilitatem, hominis formam esse, cum sublato calore ignis ipse tollatur; sublata risibilitate humanitas tollatur.


90. Amissione ergò novæ obedientiæ amittitur iustitia coram DEO, ratione signi. Cessante enim individuo effectu, cessat etiam causa in actu. Et ex amissione novæ obedientiæ ut signo, mihi notum fit amissam esse iustitiam, ut ex remotione caloris colligitur ignis sublato. Et hæc est Pontificiorum de iustificationis Articulo sententia, quam erroneam esse demonstravimus Sit benignitas tua, J E H O V A, supernos, quemadmodum speravimus in te. Ps. 33. 21.

Coronidis Loco

Quæritur.

1. An una semper eademq; ratio fuerit justificationis hominum coram DEO? R. Affirm. ex Gen. 15. 6. Act. 4, 12. C. 15, II. Rom. 4, 1. & 6.
2. An justificatio rectè distinguatur in primam & secundam R. Neg.

Τῷ Θεῷ δόξα μόνῃ





CUm Christus solus, nostræ sit causa salutis.
Incassum hinc factis, quæritur illa
salus.

Ita gratulationis ergò apposuit

PRÆSES.

Non meritis nostris, dicis **TOLNERE**, salutem
Consequimur nostram: Sufficit alma fides.
Ergo fide sola salvamur; in hâcce maneto
Constans, sic mersus funere, Salvus eris.

*L. M. Q.
apponebat*

**Theodorus Pflug/
Nob. Oldenburg.**

DUm, *Tolnere* doces hominum quæ forma salutis,
Gratulor ingenium promicuisse tuum,
Perge citò cursu, studii decurrere metam,
Constans, à superis præmia sudor habet.

Amorù & benevolentia ergò applaudebat

*Vilhelmus Henckenius, Jever, Frisus.
Sola*

Sola fides confisa Deo non sordida salvant
Promerita, ut statuunt ambitiosa cohors.
Quod dum propositis thesibus monstrare laboras
Rem dignam studio, Sympatriota, facis.
Hinc olim capies diuiti cum fenore fructum
Ecclesis patriis proficuumq; Tibi.

sic voveo

Henricus Kercker,
Frisius.

Iustificam, Tollere, FIDEM defendere tentas
Contra Papicolas, quos sua facta beant.
Conatum laudo, simul opto tibiq; mihiq;
Obtingat FIDEI proxima meta *Salus*.

Joan-Henrich Hannekenius,
Oldenburgensis.

Wie fleißig Du des Zolls/ mein Zöllner/ wahr genommen/
Und nie kein Seigel nicht fürüber lassen kommen/
das vor nicht gnugsam Dir den Zoll hat abgelegt
(wie manchem Treumer sonst offte zugeschehen pflegt)
Das zeigstu uns hie an. Wie fleißig Du gehöret
den grossen Männern zu/ Mein Freund/ denn wenn gelehret
Ist unsre Jugend hie/ das/ mein' ich/ zeigstu an.
Wol dem/ der auch mit Dir noch weiter kommen kan.

Thaddæus Theodorici,
Oldeb. Fris.

Alexan-

Alexandrinisches Kling-Gedichte.


WAs jener Zollner uns mit seinen Brust-Schlag leeret /
in dem er sich allein' an Gottes Gnad' hält fest
Und durch den Glauben sich auff Christi Tod
verläßt /

Von unserm Zollner wird auch eben diß gehört.
Denn wie des Vaters Gnad Gerechtigkeit verehret
am Christi sein Verdienst uns / dir wir feste traum
Auff Gottes Vater-Herz und nur alleine baum
Auff Christi Tod und Blut / das wird uns hie erklärt.

Wir aber lassen stehn den wolgeschwornen Hauffen
Bey jenem Heiligen (wie? oder sol man tauffen
denselben anders wo?) Ja! steh und dancke doch
mit ihm / daß du nicht bist wie etwa andre Leute /
Und unter dessen weis / daß wir auch noch nicht heute
Begehren wozu ziehn mit dir an einem Joch.

Anton Günter Faselius /
von Oldenburg aus Friesland.







57. II. Ex Rom. 3, v. 24 & seq. **Gratis**, id est, explicante Bellarmino, ex nostra ad nostra merita. **Justificamur** per gratiam ille donatam & infusam, & hæc est causa DEO justificatio inhærens est, non CH

58. III. Ex 1. cor. 6, II. Vos estis ab justificatio, inquit Bellarminus, Duo cononem & sanctificationem. Quod si justificatio: sequitur ut justificatio non sit solterna sanctificatione. Item sequitur, ut justificatiæ, vel declaratio more forensi. Ha

59. IV. Ex Tit. 3, v. 4, 5, 6, 7. Ex titiâ ipsius, colligimus (ita colligente Bellarmino) superioribus descriptam esse justificati stoli sententiam, justificatio sit regeneratate per lavacrum Baptismi & effusione

60. V. Ex Ebr. 11, Ubi testatur Apollisse justos, Abel, v. 4. Noa, v. 7. Non imlutè & perfectè, (dicente Bellarmino) imlutè vocaret eos, qui absolute justus non e inhabitante aut justitiâ CHRISTI inhærente & propriâ. Nam Abel justa operificaret. At qui facit justitiam, justus ris causa est justitia inhærens, non im principium operis esse non potest.

61. VI. Ex Rom. 8, 29. 1. cor. 15, 4 (Bellarm.) non est justus per imputationem increatæ justitiæ, sed justus est ve per creatam & inhærentem sibi justitiam tres, si imagini ejus conformes esse deberentem habere necesse est. Nam si reipsumus, magis Diaboli quàm Christi imdenominamur ab eo quod sumus, qua

62. VII. Ex Rom. 6, 7. 1. Pet. 4, 1 (to verba Bellarmini) Nos per justificati & resurgimus justitiæ, representare Ch

atis per gratiam. alitate quantum per justitiam ab go nostra eoram ata justia.

ti, justificati, ju nem five ablutio & sanctifi remissio sine in on sit imputatio

is, justificati gra egalibus) in ver secundum Apo. DEI benigni ti in nobis facta. m hominum fu hoatè, sed abso tura justos abso non justitiâ DEI justitiâ in illis in m DEO rite sa justus autem ope im extrinseca sit,

US (inquit Bellarm.) in habitatio etiam at homo, si similes, si fra non veram & inhæ am putativè justus. Rectius enim se putamur. lus Paulus (reci orimur peccato, resurrectionem: AL

